



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:


- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

lot 6

55<sup>2</sup>



*W. C. S. Z.*

Harvard College Library



FROM THE FUND OF  
**CHARLES MINOT**  
Class of 1828





*Cens*

DE

# ACCUSATIUI ET DATIUI USU TERENTIANO.

---

## DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIONI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA  
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

DIE XXXI. MENSIS IAN. A. MDCCCLXXVIII.

IN PUBLICO DEFENDET

CONSTANTINUS SCHLUETER,  
GUESTFALUS.

---

✓ MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI KRICK.

MDCCCLXXVIII.—

Ltd. 552

AUG 21 1960  
McGraw-Hill

LIBERO BARONI

**GISBERTO DE ROMBERG**

EQU. ETC.

UIRO NOBILISSIMO HUMANISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

S. E. U.

**SCRIPTOR.**

1. *What is the best way to learn English?*

2. *How can I improve my grammar?*

3. *What are the most common mistakes made by non-native speakers?*

4. *How can I practice English speaking skills?*

5. *What are some effective ways to learn English vocabulary?*

6. *How can I improve my listening skills in English?*

7. *What are the best resources for learning English grammar?*

8. *How can I practice English pronunciation effectively?*

9. *What are some tips for improving English writing skills?*

10. *How can I stay motivated while learning English?*

11. *What are the best ways to learn English grammar rules?*

12. *How can I practice English sentence structure?*

13. *What are the best resources for learning English punctuation?*

14. *How can I practice English verb tenses effectively?*

15. *What are the best ways to learn English idiomatic expressions?*

16. *How can I practice English prepositions and articles?*

17. *What are the best resources for learning English suffixes and prefixes?*

18. *How can I practice English compound words?*

19. *What are the best ways to learn English contractions?*

20. *How can I practice English irregular past tense forms?*

21. *What are the best resources for learning English irregular past participles?*

22. *How can I practice English irregular past tense forms?*

23. *What are the best ways to learn English irregular past participles?*

24. *How can I practice English irregular past tense forms?*

25. *What are the best resources for learning English irregular past participles?*

26. *How can I practice English irregular past tense forms?*

27. *What are the best ways to learn English irregular past participles?*

28. *How can I practice English irregular past tense forms?*

29. *What are the best resources for learning English irregular past participles?*

30. *How can I practice English irregular past tense forms?*

# De accusatiui et datiuu usu Terentiano.

## Praefatio.

Cum omnes grammatici id praecipue contendere debeant, ut dicendi leges quaeque propria sint singulorum scriptorum clare et perspicue cognoscantur, omnes ei, qui de dicendi genere cuiusuis scriptoris egerunt, non inanem operam uidetur suscepisse. Itaque cum iam de usu genetiui et ablative Terenti scriptum esset, ut hanc rem ad finem perducearem, de accusatiui et datiuu usu Terentiano disserere mecum constitui.<sup>1)</sup>

Editione autem usus sum Umpfenbachii<sup>2)</sup>; quodsi in allatis exemplis eadem uerba uaria saepius ratione scripta uides, non dubitauit Umpfenbachium sequi, quamquam mea sententia sibi constare debuit. Invenis enim: „Opsecro“ Eun. 896 et „obsecro“ Eun. 899. „Apsente“ Eun. 1059 et „absente“ Heaut. 231. „Appulit.“ Andr. 446; „adpulit.“ Andr. 1. „Accersitum.“ Andr. 515; „aduersier.“ Eun. 510. „It factum.“

---

<sup>1)</sup> De genitiivi usu Terentiano, Oels. 1853. (Programm.) De ablativi apud Terentinm usu et ratione. Elbing, 1858 et 1860. (Programm.)

<sup>2)</sup> P. Terenti comoediae edidit et apparatu critico instruxit Franciscus Umpfenbach Berolini apud Weidmannos. 1870.

---

Ad. 5; „id fit.“ Ad. 880. „Ad etiam.“ Eun. 1011; „at id.“  
Heaut. 637.

Rem ita instituens, ut singulis paragraphis de singulis  
accusatiui et datui generibus agerem, ordinem, quem prae-  
ter alios etiam Maduigius in conlocando exhibet secutus  
sum. <sup>1)</sup>)

---

1) Lateinische Sprachlehre für Schulen von Dr. J. N. Maduig.  
Braunschweig 1844.

## De accusatio.

### §. 1.

De accusatio post uerba transitiva et intransitiva.

Uerba illa, quae transitiva cum accus. coniunxit Terentius, omnia huc afferri non opus esse ratus iam eos locos adscribam, ubi ipsa uis et notio uerbi res obiecta fit. Exempla autem uerborum transituorum sunt: Narrationis incipit mihi initium. Andr. 709. Num solus ille dona dat? Eun. 163. Hocine tam audax facinus facere esse ausum! Eun. 644. Cantilenam eandem canis. Phorm. 495; uerborum intransituum: Nam hunc scio mea solide solum gauisurum gaudia. Andr. 964. Et quia consimilem luserat iam olim ille ludum. Eun. 587. Nam ego uitam, quam uixi usque adhuc, prope iam excuso spatio, omitto. Ad. 859.

### §. 2.

Uenio ad uerba illa (iuandi, adiuandi, cet.), quae contraria nostri sermonis usui in lingua latina iunguntur cum accus. Neque differt quidquam Ter. ab usitata dicendi consuetudine Romanorum. Cfr. Iuuare: Haut multum heredem iuuant. Hec. 460. Adiuuare. Pamphilumne adiutem. Andr. 209. Cfr. Andr. 542. Heaut. 416, 982. Phorm. 99, 203, 537, 786. Hec. 359. Ad. 16. Fugere. Quod uerbum posuit Ter. cum accus.: Recte ego semper fugi has nuptias. Andr. 766. Cfr. Andr. 935. Heaut. 316, 434. Ad. 872. Phorm. 835.<sup>1)</sup>; cum praep. „e“: Si quando ad eam accesserat con-

---

<sup>1)</sup> Fugitans litium. Phorm. 623. De quo genetiuo vide Madu. Gr. L. §. 250. (ed. IV, 1867).

fabulatum, fugere e conspectu ilico. Hec. 182. Defugere. Numquam defugio auctoritatem. Eun. 390. Effugere. Quod verbum Ter. semper coniunxit cum accus. Cfr. Nullon ego Chremetis pacto adfinitatem effugere potero? Andr. 246. Cfr. Andr. 332. Hec. 600. Ad. 955. Sequi. Nunc hunc uenientem sequor. Andr. 414. Cfr. Andr. 467, 811, 819; Eun. 346, 506, 549, 554, 816; Phorm. 461, 765. Hec. 327, 481, 649, 793, 879; Ad. 42, 248, 609. Heaut. 664, 832. Andr. 978. Consequi. Hasce consequentur alterae. Haut. 837. Cfr. Phorm. 750. Hec. 358. Consectari. Hos consector. Eun. 249. Exsequi. Si meum imperium exsequi uoluisses. Haut. 635. Cfr. Hec. 306. Persequi. Me hereditatem persecui. Andr. 815. Cfr. Hec. 454, 616; Ad. 163. Sectari. Potius quam lites secter. Phorm. 408. Aemulari. Quorum aemulari exoptat neglegentiam potius quam istorum obscuram diligentiam. Andr. 20. Aliud exemplum apud Ter. non inuenitur. Exemplum uerbi „deficiendi“, quod hoc referri possit, apud Ter. non legi.

### §. 3.

Transeo ad uerba, quae intransitiua nonnumquam modo uerborum transitiuorum cum accus. coniunguntur. Cfr. Madu. Gr. L. 223. C. Qualia apud Ter. sunt haec: Mirari. Uostram nequeo mirari satis rationem. Ad. 374. al. Demirari. Evidem te demiror, Chremes, tam mane, qui heri tantum biberis. Haut. 518. Lamentari. Modo quandam uidi uirginem hic uiciniae miseram suam matrem lamentari mortuam. Phor. 96. Manere. Simul autem non manebat aetas uirginis meam neclegentiam. Phorm. 570. Cfr. Phorm. 480, 512, 570. Gratulari. Salutant, ad cenam uocant, aduentum gratulantur. Eun. 259; i. e. sie wuenschen zur Heimkehr Glueck. Ridere. Defessa iam sum misera te ridendo. Eun. 1008. Cfr. Ad. 548. Ludere. Non te credas Dauom ludere. Andr.

787. cfr. Heaut. 824. Eun. 269, 386. Phorm. 332. Ad. 639, 697. Olere. Olet unguenta. Ad. 117. Callere. Ego illius sénsum pulchre calleo. Ad. 533. Deperire. Clinia hanc si deperit. Heaut. 525. Somniare. Me desideres, me somnies, me exspectes. Eun. 194. Uenio ad uerba „utendi, fruendi, cet.“ quae contra usum optimae latinitatis apud Ter. saepius inueniuntur cum. accus. Abuti. Hoc uerbum bis Ter. posuit cum accus, non cum ablativo. In prologis scribundis operam abutitur. Andr. 5. cfr. Phorm. 413. Ut. Mea, quae praeter spem eueneret, utantur sine. Ad. 815. Aetas magis ad haec utenda idonea. Heaut. 133; cfr. adn. <sup>1)</sup> De accus. cogitasse uidetur poëta etiam Andr. 14: Quae conuenere in Andriam ex Perinthia fatetur transtulisse atque usum pro suis. Attamen usus ablat. praeualet cfr. Andr. 203. Eun. 35. Hec. 10, 37. al. Fungi. Contra „fungendi“ uerbo a Ter. plerumque accus. adiungitur. cfr. Ita attente tute illorum officia fungere. Heaut. 66. cfr. Heaut. 580. Phorm. 282. Ad. 464. Ablatiuum autem posuit uno tantum loco: Et tuo officio fueris functus. Ad. 603. Codicum uarietas h. l. non inuenitur; cfr. Umpfenbachium, neque satis causae esse iudico, cur Fleckeisenus ceteris ni fallor exemplis commotus posuerit accus., nam ne in constructione quidem uerb. utendi, fruendi, potiendi, carendi sibi constitit Ter. Frui. Hocine me miserum non licere meo modo ingenium frui! Heaut 401. Ceteris locis habes ablat. Potiri. Ille alter sine labore patria potitur commoda. Ad. 871. cfr. Ad. 876. Phorm. 469. Ablat. autem adiecit: Curaui propria ut Phaedria poteretur. Phorm. 830. Cauere. Tum pol tibi ab istoc, era, cauendum intellego. Eun. 883. Carere. Tandem non ego illam caream, si sit opus, vel totum triduom? Eun. 223. Genetiuum adhibuit Ter.: Praeterquam tui carendum quod erat. Heaut. 400; ceteris locis in-

---

<sup>1)</sup> Ita haec uerba posita in part. fut. pass. etiam apud Ciceronem inueniri notum est.

uenitur ablat., quem etiam Eun. 223. praebent ed. uet. Umpfenbachius autem cum Fleckeiseno contra Bentleium nisi auctoritate cod. Bembini scripserunt „illam.“ Quaeritur iam, num qua inueniri possint exempla uerbi „carendi“ coniuncti cum accus. Ita inuenis: Id quod amo careo. Plaut. Curc. 136, et quae maioris momenti sunt: Meos parentes careo. Turp. ap. Non. p. 466, 8. Uirque mihi dempto fine carendus abest. Ouid. Heroid. 1, 50. Passiuē adhibitum est h. u. a. Marc. Emp. cfr. indicem uocab. Klotzi s. h. u. Quibus exemplis commotus faciam cum Fleckeiseno et Umpfenbachio.

#### §. 4.

De accus. post uerba composita. cfr. Madu. Gram. Lat. §. 224. a, b. Adire. Aliquot me adierunt. Andr. 534. Sed quid cessas hominem adire et blande in principio adloqui? Phorm. 252. Sed cesso adire quam primum senem? Phorm. 285. At tu .magistratus adi. Phorm. 403. Adibo hosce. Phorm. 609. cfr. Hec. 429. Adii te heri de' filia. Hec. 251. Meretricem hanc primum adeundam censeo. Hec. 716. Translate adhibitum est: Capitis periculum adire. Andr. 677. Satis pericli incepi adire. Andr. 821. Praepositionem addidit Ter.: Adeon ad eum? Andr. 315. Adeamne ad eum? Andr. 639. Ad precatorem adeam credo. Phorm. 140. Ne uir quisquam ad eam adeat. Eun. 578. Ex quibus exemplis iam uides, Ter. saepius Plauto huic uerbo adiunxisse simplicem accusatiuum. De Plauto enim cfr. Fleckeiseni exerc. Plaut. p. 40 : „Familiaris Plauto est locutio adeundi ad aliquem, perrara adeundi aliquem;“ de discriminē autem, quod interest inter duas has constructiones vide Madu. Gr. L. §. 224. b. Sed excepto exemplo Eun. 578. per se quidem etiam ceteris locis adici poterat simpl. accus. neque Ter. iam nouit discriminē, quod statuit Maduigius apud posteriores scriptores. Adoriri. Cesso hunc adoriri? Heaut. 757. cfr. Andr. 478. Eun. 605. Ad. 404. Adcurrere. Adcurrit ad me. Eun. 335. cfr. Phorm.

862; datiuus non inuenitur. Anteire. Quantum erum ante eo sapientia. Phorm. 247; al. non legi. Circumuenire. Ne eum circumuentum inrideant. Hec. 54. Circumire. Facinus indignum, Chremes, sic circumiri! Phorm. 614. Condonare. Argentum quod habes condonamus te. Phorm. 947. Habeo alia multa, quae nunc condonabitur. Eun. 17. Accus. personae h. u. adiunxit etiam Plaut.; cfr. Bach. 1143: Te condono; Rud. 1368: Condono te, ad quem locum Gronou.: „Condonare aliquem est donare alicui, quod debetur aut affertur, remittere, non exigere; condonare alicui aliquid est idem, quod simplex donare.“ Eodem modo Ter. dupl. accus. cum uerbo „donandi“ coniunxit: Egone te pro hoc nuntio quid donem? Hec. 849. Quod Terentium nimis exemplaria graeca secutum dixisse putauerim. Conloqui. Ut conloqui mecum una posset. Hec. 131. Ceteris locis nihil additum est. Uidetur autem si coniunctum est cum uerbis transit. uis transitiua in eo inesse: Operiar hominem hic, ut salutem et conloquar. Ad. 446. cfr. etiam: Eun. 467. Adloqui. Sed quid cessas hominem adire et blande in principio adloqui? Phorm. 253. Conuenire. Conueniam Pamphilum. Andr. 227. Hac notione hoc uerbum semper c. simplici accus. coniunctum est. Vide Andr. 368, 528. Eun. 234, 1005. Phorm. 719, 828, 896. Hec. 191, 196, 433, 437, 557, 725, 727. Ad. 154, 209, 499, 512, 757. Exire. Iam ut limen exirem. Hec. 378. Ingredi. Qui numquam es ingressus mare. Hec. 419. Incedere. Noua nunc religio in te istaec incessit. Andr. 730. Semel tantum hac notione legi. Inire. Postulo atque oro, ut beneficium uerbis, initum dudum nunc re comprobem. Andr. 824. Adibo atque ab eo gratiam hanc; quam video uelle, inibo. Eun. 557. cfr. Heaut. 302, 674. Phorm. 344. Hec. 795. Ad. 914. Inludere. Inluditis me. Phorm. 915. cfr. Heaut. 741. Paene inlusi uitam filiae. Andr. 822. Ut ne inpune in nos inluseris. Eun. 942. Adeon uiderem uobis esse idonei, in quibus sic inludatis? Andr. 758. Tribus igitur locis h. u. adiunxit Terent. simpl. accus.,

semel praep. „in“ cum accus., semel praep. „in“ cum ablativo; non usus est dative. Adludere. Coepit ad id adludere et me inridere. Eun. 424; i. e. secundum Ruhnke, amorem suum ostendere uisu, motu, tactu manus aut pedis. Deludere. Dolis ut me deluderet. Andr. 583. cfr. Andr. 203. Eludere. Summa eludendi occasio ist mihi nunc senes. Phorm. 885. Inridere. Coepit me inridere. Eun. 425. cfr. Andr. 500. Eun. 710, 1018. Phorm. 669. Hec. 54. Deridere. Hunc comedendum uobis propino et deridendum. Eun. 1087. Inpendere. Ita nunc inparatum subito tanta te inpendent mala. Phorm. 180. Bentleius quidem scripsit: in te inpendent; sed si constructionem uerb. insistendi, ingrediendi, inludendi, insultandi respicimus, ferri posse uidetur simplex accus. Inruere. Atque in aedis inruerit alienas. Ad. 88. Absolute adhibitum invenis h. u. Eun. 788, et cum aduerbio loci Ad. 550. Inscribere. Inscripsi illico aedis mercede. Heaut. 145. Insistere. Quam insistam uiam. Eun. 294. Insultare. Ne tu istas faxo calcibus saepe insultabis frustra. Eun. 285. Inuolare. Cui uerbo semper addita est praep. cfr. In oculos inuolem! Eun. 648. cfr. Eun. 860. Obire. Is obiit mortem. Andr. 228. cfr. Phorm. 1019. Heaut. 271. Praeterire. Uillam praeterire. Eun. 633, 641. Nescis quid mali praeterieris. Hec. 419. cfr. Hec. 878, Ad. 14, 581. Praep. repetitam non repperi. Inspiccre. Inspicere tanquam in speculum in vitas omnium. Ad. 415. cfr. Ad. 428. Cum simpl. accus. non posuit h. u. Ter. Respicere. Cui uerbo Terent. adiecit simpl. accus. notione: „Ruecksicht nehmen.“ cfr. Andr. 975: Me in tuis secundis respice. Uide Heaut. 70, 919. Phorm. 484, 817. Hec. 772. Ad. 353, 932; praep. „ad“ notione vera: Cum hoc respicio ad uirginem. Eun. 342. cfr. Andr. 417. Phorm. 740. Inducere. Dixit Terent. „animum inducere“ et „in animum inducere“ eadem uia atque sententia. Hoc inuenis: Quae tu pergrauia esse in animum induxi tuom. Hec. 292. cfr. Hec. 50, 603; Heaut. 49. (deest autem hic versus in cod. Bemb., de quo vide Umpfenb. adn. h. l.); illud habes saepius: Ita

animum induxerunt, socrus omnis esse iniquas. Hec. 277. cfr. Hec. 99, 264. Andr. 572, 834. 883. Eun. 490. Heaut. 41. Ad. 68. Aliter res se habet Ad. 597: Numquam te aliter atque es in animum induxi meum. Impertire. Plurima salute Parmenonem summum suom impertit Gnatho. Eun. 271. cfr. Ad. 320. Induere. Meam ipse induit. Eun. 702. Tuam uestem detraxit tibi? Factum. Et east indutus? Eun. 708. Ubi uestem uidit illam esse eum indutum pater? Eun. 1016. cfr. Madu. Gr. L. §. 237. a. Praestolari. Quem praestolare? Eun. 975, 977. Donatus habet ad haec: „Inquit noue, non: Cui praestolare, sed quem dixit. Aliter Tullius in Catilinam: qui tibi ad forum Aurelium praestolarentur. Praestolari est praesto esse et apparere, hoc est obsequi.“ Addam hūic paragrapho usum uerbi „uisendi“, quod promiscue Terentius cum simpl. accus. et praepos. „ad“ coninxit. Exempla autem simpl. accus. sunt haec: Ego hanc uisam. Andr. 708. cfr. Phorm. 899. Hec. 341. Huc non referendus uidetur uers. Eun. 1042: Uisam domum, i. e. nach d. Hause. Additam praep. habes: Nunc ad eam uisam. Hec. 339. cfr. Hec. 189, 237.

## §. 5.

De accusatio post uerba impersonalia „piget, pudet, paenitet, miseret, taedet.“ cfr. Madu. Gr. L. §. 226. Quodsi nonnumquam pro genetiuo rei, cuius quem pudet, piget, cet. positum est pronomen genere neutro, haec verba personalia sunt accipienda. Neque enim est accus., sed uere nominatiuus, loco subiecti. Unus quidem locus, ubi pro nominatiuo pronominis nominatiuus substantiui positus est: Plaut. Stich. I, 1, 51: Et me quidem haec conditio nunc non paenitet, iure Plauto abiudicatur, quod deest in cod. Ambros. Adiectiuum autem loco substantiui habes: Semper metuet, quem saeva pudebunt. Lucan. cfr. indicem uocabulorum Georgis s. h. u. Eadem ratione dixit Ter.: Non te haec pudent?

Quodsi hoc uno loco nominatiuum intellexeris, in omnibus exemplis infra allatis pronomina nominatiui, non accusatiui sunt accipienda. Atque „non te haec pudent? ecquid te qudet? cet.“ eadem ualent atque: Non te haec pudore afficiunt? ecquid te pudore afficit? Exempla autem Terentiana sunt haec: Ecquid te pudet? Andr. 871. Quem neque pudet quicquam. Ad. 84. Non te haec pudent? Ad. 754. Ne quid plus minusue faxit, quod nos post pigeat. Phorm. 554. Exempla autem: Immo malum hercle, ut nihil pudet! Pherm. 644, cfr. Pherm. 1042, Ad. 244, possunt etiam alia ratione intellegi. Cfr. Si roges, nihil pudent hic. Andr. 637. Ita enim contra cod. (deest autem haec pars Andriae in Cod. B, qui haud dubie praebetur „pudent“, itidem ut uere praebet. Hec. 64. (cfr. infra) pro „misereat“ „misereas“) iure scribitur ab editoribus metri causa. cfr. etiam Plaut. Cas. V, 2, 3. Nunc pudeo. Cetera exempla sunt haec: Fratris me quidem pudet pigetque. Ad. 392. Non te horum pudet? Phorm. 392. cfr. Heaut. 576, 581. 1042. Hec. 231. Ad. 690. Neque personam neque rem addidit Ad. 485: Pudet. cfr. ibd. 274. Eun. 907. Phorm. 232. Hec. 806. „Sed non res tantum et facta, quibus pudor in nobis excitatur, uerbo pudere in genetiuo apponuntur eorumque nos pudere dicimus, sed etiam personae quarum reverentia pudorem nobis iniicit.“ Verba sunt Lindemann ad Plaut. Trin. IV, 2, 67: Deuni me hercle atque hominum pudet. Huc referenda sunt exempla: Et me tui pudet. Ad. 683. cfr. Hec. 793, Heaut. 260. Hisce igitur locis dicendum erit in lingua uernacula: sich vor einem schaemen. Non paenitet me famae. Hec. 775. cfr. Phorm. 172. Heaut. 72. Eun. 1013. Nonne te miseret mei? Andr. 869. cfr. Eun. 802, 945. Heaut. 168. 463, 750, 1026. Phorm. 188. Hec. 129. 446. Personale h. u. adhibuit Terent. Ne cuiusquam misereas. Hec. 64. Ita legitur in cod. Bembino, a quo pro certo habere debes non sine causa gravissima esse recendum. Uerbum autem „miserendi“ personale adhibitum inuenis praeterea: Miserete anuis. Enn. ap. Non.

p. 474. 30. Cogebant lacrimantes ut misererent. id. ap. Prisc. p. 824. P. Ipse sui miseret. Lucr. III, 881. Uideo et me taedet. Eun. 464. cfr. Ad. 152. Facis ut te decet. Andr. 421. cfr. Andr. 445. Eun. 789. 814. Heaut. 132, 1054. Ad. 506, 948, 954. Ubi cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare, abii ad proximum, tibi qui erat. Heaut. 965; i. e. Ubi, cui me dare decuit primo etc. Datium autem posuit Ter.: Haec primum ut fiant deos quaeso ut nobis decet. Ad. 491, Ita nobis decet. Ad. 928. Duobus igitur locis alienus est Terent. ab optimorum scriptorum usitato dicendi genere, saepius adiunxit accus.

## §. 6.

De dupli accusatiuo post uerba „habendi, creandi“ cet. Uide autem, quae accuratius de hac re exposuit Madu. Gr. L. §. 227. Paternum amicum me adsimulabo uirginis. Phorm. 128. Quos hic noster auctores habet. Andr. 19. cfr. Andr. 39. Eun. 128, 174. Phorm. 16, 345. Heaut. 963. Hec. 66, 582, 602, 752. Ad. 258. 268. Inuenitur etiam: Habere aliquem pro aliquo et in loco alicuius. Discrimen notum est. Quam ego pro uxore habuerim. Andr. 273. cfr. Heaut. 98. Amicam ut habeas prope iam in uxoris loco? Heaut. 104. cfr. etiam: Si te in fratri dilexi loco. Andr. 292. Praeterea forma et aetas ipsast facile ut pro eunucho probes. Eun. 375. i. e. ut pro eunucho habearis. Si uos uoltis perhiberi probbos. Ad. 504. Chremes ad me uenit, unicam gnatam suam filio uxorem ut daret. Andr. 101. cfr. Andr. 295, 606, 683, 684. Heaut. 650, 655, 629. Phorm. 625, 658. Ad. 318, 463, 585. Pol haud paternum istuc dedisti. Ad. 450. cfr. Eun. 478. Heaut. 950. Phorm. 974. Inuenitur etiam: se dare aliquo modo. Mirum ni ego me turpiter hodie hic dabo cum meo decrepito hoc eunucho. Eun. 230. Umptenbachius quidem scripsit: Mirum ni egomet turpiter hodie hic dabo etc. Haud uere, ut opinor. Nam desideramus accus. „me.“ Neque,

cum sola lit. „t“, errore duplicata, esset delenda, debebat dubitare, illam lectionem praeferre, quae comprobatur praeter, alios etiam cod. Uictoriano, Decurtato, a Donato. Tam placidum quasi ouem reddo. Ad. 534. cfr. Ad. 849. Andr. 703. 864. Uberius rem expressit: Hic reddes omnia, quae nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient. Andr. 389. Me missum face. Andr. 680. 833. Eun. 90; 864. Phorm. 946. Hec. 780. Ad. 906, 991. Hic homines prorsum ex stultis insanos facit. Eun. 254. cfr. Eun. 61, 802. Heaut. 341, 398. Ad. 7, 535, 756, 842, 875, 898, 926. Phorm. 578, 674, 771. Quod te isti facilem et festiuom putant. Ad. 986. cfr. Hec. 853. Clamitent me sycophantam. Andr. 815. Adporto nouam Epidicazomenon quam uocant comoediam Graeci, Latini Phormionem nominant. Phorm. 26. cfr. Eun. 264. Te uirum iudico. Ad. 564. Qui te appellaret patrem. Hec. 652. Scis Pamphilam meam inuentam ciuem? Eun. 1036. cfr. Phorm. 728, 817, 872. Andr. 381, 460, 863. Non si capiundos mihi sciam esse inimicos omnis homines. Andr. 695. cfr. Eun. 887. Heaut. 500. Hec. 537. Seruom haud inliberalem praebes te. Ad. 886. cfr. Hec. 311. Inuenitur etiam simplex accus.: Tum Phormio itidem in hac re ut (in) aliis strenuom hominem praebuit. Phorm. 476. Eum mihi precatorem paro. Heaut. 1002.

### §. 7.

Nonnulla uerba Romani ita cum dupl. accus. coniungerunt, ut praeter accus. pers. alterum accus. rei adicerent. A. Quo primum referenda sunt uerba illa notissima „docendi“ „edocendi“ ceter. Docere: Uerum, Sostrata, male docet te mea facilitas multa. Heaut. 648. Sed cfr. In eodemque omnes mihi uidentur ludo doctae ad malitiam. Hec. 203. i. e. ad malitiam exercendam. Edocere. Ac Phanium edocebo, ne quid uereatur Phormionem. Phorm. 783. Uerbum „dedocendi“ apud Terentium non inuenies. Celare. Et scilicet iam me hoc uoles patrem exorare ut celet senem vestrum? Heaut. 705.

cfr. Phorm. 959. Te atque alios partam ut celaret suom. Hec. 384. cfr. Ad. 54, Hec. 530. Accus. pronom. demonstr. in genere passiuo servatus est: Nosne hoc celatos tam diu. Hec. 645. Cum simpl. accus. rei aut personae, quo etiam referendus est usus passiuus, h. u. positum est: Hec. 253, 374, 445, 576, 657. Andr. 132. Heaut. 414, 698. Phorm. 182, 825. B. De accus. post uerba „poscendi“, „flagitandi“, cet. cfr. Madu. Gr. L. §. 228. b. Poscere. Duplici accus. post uerbum „poscendi“ nusquam Ter. usus est neque omnino adiunxit simul et rem quam quis poscit et eum, a quo poscitur, nisi fortasse hoc refers: Fac ut audeat tibi credere omnia, aps te petere et poscere. Heaut. 926. Cfr. Mille nummum poscit. Heaut. 606. cfr. Heaut. 867, 775. Reposcere. Ambos curare propemodum reposcere illum est, quem dedisti. Ad. 132. Uerbum „flagitandi“ non inueni apud Ter. Orare. Semper aut solam personam a qua quis rem petit, aut rem quam quis petit in accusatiuo posuit. Quodsi accus. personae inuenitur, res aut omittitur, aut adiuncta est enuntiatio plerumque cum coniunctione „ut“ consilium exprimente. Coniunctium „imperatorium“ habes: At te oro porro in hac re adiutor sis mihi. Hec. 721. Imperatiuum: Nunc te oro, Daue, — gnatum mihi corrigere porro emitere. Andr. 596. Pro accus. personae dicta est praep. „a“: Abs te postulo atque oro. Andr. 823, et praep. „cum“: Egi atque oraui tecum, uxorem ut duceres. Hec. 686. Sed utroque leco uide uerb. proxim., quamquam non uere uidentur iudicasse ei, qui illud „tecum“ a uerbo „agendi“ pendens faciunt. Nam simplicius ad utrumque refertur, ut iam Plautus hac constructione saepius usus est. cfr. Pers. I, 3, 37: Tecumque oraui, ut nummos sescentos mihi dares. cfr. etiam: Curc. 62. Rud. III, 4. 68. Asin. 662, 682; Bacch. 494, 554. Pers. II, 5, 20. Poen. III, 2, 24. Cas. II, 5, 16, III, 4, 5. Personam in accus., rem enuntiatione secundaria (ut) expressam habes: Per ego te deos oro, ut ne illis animum inducas credere. Ad. 834. cfr. Andr. 190. Eun. 502, 528,

533. 885. Hec. 116, 498. Phorm. 8. Heaut. 605. Nisi senis amicos oras. Andr. 373. cfr. Andr. 312. Orabo gnato uxorem. Andr. 528. Satis saepe autem adiunxit Terent. accusatiuo pers. accusatiuum pron. Uide: Em, id te oro, Andr. 556. cfr. ibid. 289, 548, 826, 901. Eun. 1084. Heaut. 493, 623. Hec. 338, 445. Ad. 253, 941. Rogare. De uerbo „rogandi“ fere idem dicendum est; uide: Uerbum si mihi unum praeterquam quod te rogo — faxis caue; Andr. 753. cfr. Andr. 749; Heaut. 943. Alio modo dupl. accus. cum h. u. non coniunxit Ter. Saepe autem addidit enuntiationem secundariam uelut: Militem rogat, ut illum admitti iubeat. Eun. 618; ac saepius eum, quem quis rogat, ex conexu uerborum intellegi uult, uelut: Rogo, quam ob rem retineat me. Phorm. 863. Dicendi formulam: „rogare (aliquem) de aliquo“ habes Eun. 720: De istac rogas uirgine? Interrogare. Quod u. apud Ter. non inueni, nisi Eun. 981: Recte sane interrogasti. Postulare. Apud hoc u. Terent. personam ubique posuit in abl. cum praep. „a.“ cfr. Nunc cum maxime abste postulo atque oro, ut — Andr. 823. cfr. Andr. 551; uide adn.<sup>1)</sup>. Petere, impetrare. De his verbis idem dicendum est, ut: Petito illasce a me decem. Phorm. 664. Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat. Andr. 544. Quaerere. Suspicionem istanc ex illis quaere. Heaut. 994. Saepius hoc uerbum inuenitur notione „suchen“ cum solo accus. Quaeso. Adnotandum uidetur, Ter. semper dixisse: „Quaeso deos ut“, non: „quaeso a deis ut.“ efr.: Deos quaeso ut sit superstes. Andr. 487. cfr. Ad. 275, 491. Percontari. Hoc uerbum non coniunctum est apud Ter. cum duplici accus. cfr. Sed quos perconter uideo. Andr. 800. cfr. Hec. 77, 104, 111. Eun. 294. Heaut. 78. Optare. Quoduis donum praemium a me

<sup>1)</sup>) Saepius autem adhibetur acc. c. inf.; uide: Qui me tacere de re tanta postules. Heaut. 1011. cfr. Andr. 381, Eun. 480. Heaut. 671. Hec. 564. Ad. 200, 879.

optato. Eun. 1057. al. Sed cfr. Illum ut uiuat, optant, meam autem mortem exspectant scilicet. Ad. 874. Quo loco per attractionem subiectum enuntiationis sec. mutatum est in obiectum enuntiationis primariae. Addam huic paragrapho dicendi formulas: uelle aliquem aliquid; cogere aliquem aliquid; exempla autem Terentiana sunt haec: Dic quid est, quod me uelis. Andr. 45. cfr. Andr. 536. Eun. 338. Phorm. 151, 458. Hec. 429. Quod vos vis cogit. Ad. 490. cfr. Phorm. 238.

#### §. 8.

Id, hoc, illud, idem, quod, nihil, unum, multa cet. saepius uerbis et trans. et intrans. adiungi, quo quae sit uis uerbi quantumque ualeat in uniuersum significetur, notum est. Qualia exempla ap. Terent. inueniuntur multa et nonnulla satis memoratu digna. cfr. Horum ille nihil egregie praeter cetera studebat et tamen omnia haec mediocriter. Andr. 59. cfr. Hec. 199. Heaut. 382. Quia non iusta, iniusta prorsus omnia omnino obsequor. Ad. 990. Mihi imperauit omnia adsentari. Eun. 253. Salve multum. Hec. 83. cfr. Hec. 460. Heaut. 982. Magis unum etiam instare ut — Heaut. 895. Uerum hoc te moneo unum. Hec. 766. cfr. Phorm. 221, Andr. 918. Ad. 857. Heant. 353. Si remittent quippiam dolores. Hec. 349. Num ille somniat ea, quae uigilans uoluit? Andr. 971. Nunc id prodeo ut — Eun. 1005. Di tibi omnes id quod es dignus duint. Phorm. 519. Idne estis auctores mihi? Ad. 939. Id amabo adiuta me. Eun. 150. Nunc id operam do. Andr. 157. cfr. Andr. 307. Iam id gaudeo. Andr. 362. cfr. ibid. 349, 376, 448. Eun. 323, 394, 998, 1041. Phorm. 1052. Nam quod antehac fecit, nihil ad me attinet. Andr. 187. cfr. Heaut. 76. Ad. 134, 562. Nihil istac opus est arte. Andr. 32. cfr. Ad. 142. Eun. 765. Heaut. 171. Phorm. 715. Cum nihil obsint doli. Andr. 160. cfr. Andr. 204. Nihil circum itione usus es. Andr. 202. Quid gestiam aut quid laetus sim. Eun. 555. cfr. Eun. 558, 829, 1034.

Andr. 498, 713. Phorm. 572, 728, 948. Ad. 82, 83, 256, 323, 556, 679, 768, 935. Hec. 321, 512, 825. Heaut. 362. Deinde quod ueni eloquar. Heaut. 3. Quid istuc Sannio est, quod te audio nescio quid concertasse cum ero? Ad 210. Quod tuo uiro oculi doleant? Phorm. 1052. cfr. Andr. 738. Hec. 276, 476, 600. Ad. 385. Tu quod te posterius purges (was das anbetrifft, dass-) hanc iniuriam mihi nolle factam esse, huius non faciam. Ad. 162. cfr. etiam: Eun. 1064.

### §. 9.

De accusatio apud nomina urbium minorumque insularum. Apud nomina urbium semper omisit Terent. praep. cfr. Quid tu Athenas insolens? Andr. 907. scil. uenisti. Quae cum milite Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo. Hec. 86. Ego me ire senibus Sunium dicam ad mercatum. Phorm. 837. Miletum usque obsecro? scil. uirginem ut secum auehat? Ad. 655. In usu minorum insularum ab optimorum scriptorum usitata dicendi consuetudine recedit Ter. bis. Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam ad hospitem antiquom. Phorm. 66. Namque hic properat in Cyprum. Ad. 278. Omissa praep. est.: Qua profectus causa hinc es Lemnum? Phorm. 567. Te aiunt proficisci Cyprum. Ad. 224. Quae porto Cyprum. Ad. 230. Praep. „ad“ addidit: Atticus quidam olim nau fracta ad Andrum electus est. Andr. 923. Sed cfr. Madv. Gr. L. §. 232. vide adn. <sup>1)</sup>. Apud uocabula „domus“ et „rus“ leges optimae latinitatis non laedit Ter. semper praep. omissa, nisi pronomen dem. aut adiect. adiunctum est. Vide: Domum modo ibo. Andr. 594. cfr. Eun. 205, 263, 576. 662, 1042. Heaut. 68, 122, 340, 510. Phorm.

<sup>1)</sup> Neque in usu locatiui sibi constitit Ter. cfr. Cuius uir uxorem Lemni habuit aliam. Phorm. 942. cfr. Phorm. 1018. et: Cum eius consuevit olim matre in Lemno claneulum. Phorm. 873. cfr. Phorm. 1004. Andr. 931.

194, 298, 311, 334, 445, 563, 693, 782, 826, 859. Hec. 62, 135, 146, 262, 280, 283, 360, 434, 630, 665, 823. Ad. 286, 473, 628, 694, 699, 903, 912. Andr. 255, 978. Qui quidem in hanc detur domum. Eun. 365. Si in domum meretriciam deducar. Eun. 382. Rus ibo Eun. 187. efr. Eun. 216, 533, 629. Hec. 175, 586, 589, 610, 629. Ad. 401. 433, 436, 517, 560, 840. Hisce liceat adiungere: Ille infitias ibit. Ad. 339. cfr. ibid. 347. Quibus locis uerbum „eundi“ translate admississe notione actiua (ausgehн auf etwas) uidetur Terentius. Exsequias ire. Phorm. 1026. Quem acc. cognatae uerbo significationis esse putauerim; nam in utroque uerbo inest notio „motus“ atque est: den Leichengang gehn. cfr.: Uos ite superbae Exsequias animae. Sil. Pun. 15,394, et: Pom-pam qui funeris irent. Ouid. fast. 3,663. Malam rem hinc ibis? Eun. 536. In cod. Bembino adiecta praep. „in“ non legitur et Donatus habet ad haec: Hoc aduerbialiter dixit, quemadmodum dicimus „domum ibis.“ Idem adnotat etiam ad Phorm. 368: I in malam crucem. Ceteris quidem locis et Plauti, quantum uidi, et Terenti ubique seruata est praepos. cfr. Abin hinc in malam rem? Andr. 317. In in malam rem hinc? Phorm. 930. De Plauto cfr. Holtzei Syntaxin Priscorum Scriptorum Latinorum pag. 204. Sed cum neque sit ueri simile, praep. si erat principio in textu omissam esse neque interposita praep. (nam mala res una est notio) bene se haberet, equidem non dubitauerim, cum Fleckeisen et Umpfenbachio cod. Beminum et Donatum secutus praep. omittere, quamquam similis locus nunc quidem mihi praesto non est.

### §. 10.

De accusatio temporis, mensurae, distantiae. Ad h. acc. quod attinet, nihil inueni singulare, quod proferrem, cum Terent. ab optimorum scriptorum usu et consuetudine nihil abhorreat. Uide exempla: Ego hoc tibi debedo, conari manibus pedibus noctesque et dies. Andr. 676. Sine

illum priores partes hosce aliquod dies apud me habere. Eun. 151. cfr. Eun. 187, 193, 223, 636, 277. Heaut. 118, 752. Phorm. 159. Phorm. 520. Hec. 87, 177, 185. Ad. 332. Annos nastast sedecim. Eun. 526. cfr. Eun. 693. Heaut. 62. An abiit iam a milite? Iandudum, aetatem. Eun. 734. „Aetatem“ dixit Terent. ut antiquiores poëtae, pro „diu.“ cfr. Heaut. 716. Hec. 747; uide etiam: Plaut. Curo. 554. As. 284. Lucret. 6,236. Ego istuc aetatis non amori operam dabam. Heaut. 110. „Istuc aetatis“ dictum est pro „ista aetate.“ Huc etiam referendus est acc. temp. cum „abhinc“ coniunctus, atque sibi constitit Ter. semper utens accus. cfr. Interea mulier quaedam abhinc triennium huc commigravit. Andr. 69. cfr. Phorm. 1017. Hec. 822. Accus. pendentes ab adiectiuis „dimensionem siue mensuram“ significantibus apud Ter. non inueni. Neque accus. „distantiae“ habes exemplum nisi: Haut multum a me aberit infortunium. Heaut. 668.

### §. 11.

De accus. exclamationis et de uocatiuo. Exempla h. acc. apud Terentium sunt plurima. Ac primum simplicem accus. habes: Di uostram fidem! Andr. 716, 744. cfr. Andr. 240, 788, 869. Eun. 81, 197. Phorm. 749. Hec. 205. Ad. 291, 310. 486. al. Uocatuum inuenis: Mea Glycerium, inquit, quid agis? Andr. 134. al. Saepissime autem addidit Terent. interiectiones. O hominem audacem! Andr. 769. O ingentem confidentiam! Andr. 876. O infelicem adulescentulum, o scelestum Parmenonem! Eun. 943. cfr. etiam: Eun. 296, 298, 943. Andr. 401, 956. Phorm. 233. Hec. 376. Ad. 173, 183, 304. Heaut. 313. O Iuppiter! Andr. 464. O noster Chremes! Andr. 846. O Bacchis, o mea Bacchis, seruatrix mea! Hec. 856. O caelum, o terra, o maria Nep-tuni. Ad. 790. cfr. Andr. 267, 282, 492, 618, 802, 817, 869. Eun. 753, 946, 1034. Heaut. 406, 630, 684, 690. Hec. 352,

382. Ad. 407, 731, 757. al. O uir fortis atque amicus. Phorm. 324. Ita exhibet cod. Bembinus cum reliq., et iam Donatus dixit ad h. l.: „Nominatiuum pro uocatiuo posuit.“ Attamen equidem non dubitauerim contra Bentleium sequi Fleckeiseni et Umpfenbachi emendationem. Nam ita haec melius cum uerbis inseq. cohaerere uidentur atque est emendatio hercule facillima: O uir fortis atque amicu's. uerum hoc saepe, Phormio, uereor, ne istaec fortitudo in neruom erumpat denique. O festus dies, hominis amice, salue! Eun. 560. Ita habent cod. et legit Donatus ac prima quidem uerba ab omnibus quod sciām editoribus seruata sunt, quamquam de inseq. dubitatum est; cfr. enarratores. Bentleius scripsit: O festus dies! o meus amicus! salue! et Fleckeisenus: O festus dies! amice, salue! Sed neutrius emendatio est ab omni parte comprobanda. Namque primum, ut ex exemplis supra allatis elucet, accus. exclam. est hic suo loco (o festum diem) et hiatus (diem! o-) potest defendi propter signum exclamationis atque quod scripsit Bentleius: o meus amicus! non uidetur Ter. hanc interiect. nominatiuo iunxisse<sup>1)</sup> atque in uerbis quae praebent cod. latere uocat.: o mi-amice patet. Fleckeisenus huius: hominis (=o mi?) nullam habuit rationem. Itaque restat in hoc uersu aliquid peccati neque ipse remedium inueni. „Eho“ ubique cum uoc. adlocutionis coniunctum uides. cfr. Eho dum bone uir, quid ais? Andr. 616. Eho tu impudens, non satis habes? Andr. 710. cfr. Andr. 748, 791. Heaut. 312. Ad. 777. al. Itidem interi. Heus, eu, euge. cfr. Hēus puer. Andr. 84. Heaut. 550. Phorm. 398. Ad. 776. Eu noster. Phorm. 398. al. Euge Charine. Andr. 345. al. Apud interi.: Pro semper usus est Terent. uocati, exceptis eis locis, ubi coniunxit uerba: Pro deum fidēm, qui accus. intellegendum est omissio uerbo „obtestandi“.

1) Neque Plautus ap. interi. „O“ posuit nominatiuum neque alias quis usque ad Ter. cfr. Holtzeum.

Pro Iuppiter. Andr. 732. Hec. 317. Eun. 550. Phorm. 1008. Ad. 111, 196, 366, 447. Pro deum fidem. Andr. 237. cfr. Andr. 246. Heaut. 61. Hec. 198. Ad. 746. Pro deum immortalium! sc. fidem. Phorm. 351. „Heu“ autem semper cum accus. exclamationis posuit. cfr. Heu me miserum! Andr. 646. cfr. Phorm. 187. Hec. 74, 282. Ecce. Cum partic. „ecce“ semper Terentius coniunxit accus. atque ita, ut, quantum fieri poterat, haec partic. et pronomen inseq. in unum uerbum coalescerent. Etiam id uelim animaduertas, satis saepe pronom. demonstr. „is“ uideri esse superuacaneum. Nam multis locis (uide exempla nouissima) additur nom. proprium aut substantiuum aut aliud quid, quasi nimis uulgari usu uis pron. dem. prorsus euanuerit. Atque ita dicere potuit: Chrem.: Ubi Clitipho hic est? Syr. Eccum me inque. Clit. Eccum hic tibi. Heant. 829. Cetera exempla sunt: Eccum ipsum obuiam. Andr. 532. Atque eccum uideo ipsum foras exire. Andr. 580. cfr. Andr. 605. Phorm. 464. Eun. 1006. Hec. 352. Atque eccum. Andr. 957. Eun. 455. Heaut. 960. Set eccam ipsa egreditur. Eun. 79. Ita iure cetera secutus exempla scripsit Umpfenb. cum Fleckeiseno. In cod. quidem (etiam in Bembino) inuenitur „ecca.“ Sed eccam ipsam. Eun. 738. cfr. Ad. 720. Sed eccos uideo quos uolebam. Heaut. 256. Eccum ab sua palaestra exit foras. Phorm. 484. Sed eccum ipsum. Phorm. 600. Atque eccam uideo. Hec. 523. Eccum adest communis corruptela nostrum liberum. Ad. 792. cfr. Eun. 776. Ecce me, qui id faciam uobis. Ad. 995. Ecce autem alterum. Eun. 297. Sed eccum militem. Eun. 395. Sed eccum Parmenonem. Eun. 304. Sed eccam Thaidem ipsam uideo. Eun. 788. Eccum Dromonem. Heaut. 241. Syrum optume eccum. Heaut. 757. Atque eccum Phidippum optime uideo. Hec. 246. Attat eccum Phidippum et patrem uideo. Hec. 450. Set eccum Syrum ire uideo. Ad. 361. Sed eccum sceleratum Syrum. Ad. 553. Sed eccum Demeam. Ad. 890. Sed eccum Micio egreditur foras. Ad. 923. Sed Bacchidem eccam uideo stare ante ostium. Hec. 854.

Em. Idem est „hem“ uel „ehem. In qua particula primum inest uis demonstr. et hac ui ab Terentio coniuncta est cum accus.: Ellum, confidens, catus. Andr. 855. Ellum, te exspectat domi. Ad. 260. Ad. 389 iure uidetur Umpfenb. scripsisse pro: „ellam intus“ „est iam intus“. Em astutias. Andr. 604. cfr. Andr. 785. Em Dauom tibi. Andr. 842. efr. Eun. 472. Em alterum. Eun. 459; cum datiuo: Em tibi. Phorm. 847. Ad. 790. Syr. „Em tibi autem.“ Ct. „Quid nam est?“ Syr. „Lupus in fabula.“ Qui datiuui adiecto uerbo „habes“ intellegi possunt, germanice: da hast du's. Haec part. inuenitur etiam in allocutionibus coniuncta cum uocatio. cfr. Ehem pater. Andr. 417. cfr. Andr. 665. Hem Pamphile, optume mihi te offers. Andr. 686. cfr. ibid. 860, 882. Hem, mea Sostrata, uide quam rem agas. Ad. 343. cfr. ibid. 373, 901. Eun. 462, 651. Ehem Pythias. Eun. 730. cfr. Andr. 846. Ehem mi vir. Ehem mea uxor. Heaut. 622. cfr. ibid. 883. 1047. Hem Sostrata. Ad. 271. cfr. Hec. 340. Uah. Uah consilium callidum! Andr. 589. Qui uidetur esse accus. excl., quamquam etiam ita accipi potest, ut sit: Consilium callidum cepisti uel simile quid. Absolute haec interi. al. inuenitur. Interiectiones „ei“ et „uae“, quae sunt animi uehementiore motu concitati semper iunxit Terentius cum datiuo. Uide: Ei mihi. Andr. 263, 322, 622. Heaut. 83, 247, 968. Phorm. 607, 671, 1004. Hec. 366. Ad. 124, 242, 323, 452, 753, 789. Ei misero mihi. Ad. 173. Heaut. 234. Uae mihi. Eun. 709. Uae misero mihi. Andr. 302. Heaut. 243, 250, 917. Hec. 605. Ad. 301, 381. Uae miserae mihi. Andr. 743. Ad. 327.

## De datiuo.

### §. 12.

De datiuo commodi et incommodi. Hic datiuus apud Terent. inuenitur sexcenties ac saepe secundum nostram dicendi consuetudinem loco genetiui uel praepositionis.

A. Nihil locist segnitiae neque socordiae. Andr. 206. Orabo gnato uxorem. Andr. 528. Si iam audierit sibi paratas nuptias. Andr. 341. Tibi generum firmum et filiae inuenies uirum. Andr. 571. Hic mihi nunc quanto plus sapit, quam egomet mihi! Heaut. 507. Tum ornata m ita, uti quae ornantur sibi. Heaut. 288. Quia non rete accipitri tennitur neque miluo. Phorm. 330. Quam immerito aegritudo haec oritur mihi abs te. Hec. 222. Tuos esse ego illi mores morbum magis quam ullam aliam rem arbitror. Hec. 239. Noster sacer, uideo, uenit; pueru nutricem adducit. Hec. 770. Scit sibi nobilitatem ex ea re natam et gloriam esse. Hec. 797. Siquid peccat, Demea, mihi peccat. Ad. 116. Recte ego consului meae. Hec. 559. cfr. Heaut. 715. Phorm. 153, 468. Sed cfr. Quia pessume istuc in te atque in illum consulis. Heaut. 437. Animaduerte praemissum „pessume“. Aduerbialis locutio adiuncta est: Id oro te in commune ut consulas. Andr. 548. Consulere in longitudinem. Heaut. 963. Ei metui a Chryside. Andr. 106. Ei nunc timeo. Phorm. 188. cfr. Andr. 210, 419. Heaut. 531. Ipse sibi cauit loco. Eun. 782. Cum mihi paueo. Phorm. 187. Nisi mihi prospicio. Phorm. 963. Namque hoc tempus praecauere mihi me, haud te ulcisci sinit. Andr. 624. Recte ego mihi uidisse. Phorm. 189. (prouidere). Nam id nobis tam flagitiumst, quam illa non facere uobis. Ad. 422. Sibi uixit, sibi sumptum fecit. Ad. 865. Non sibi soli postulat te uiuere. Eun. 480. Unde ego nunc tam subito huic argentum inueniam miser? Phorm. 534. Non capit is ei res agitur, sed pecuniae. Phorm. 631. Suo sibi gladio hunc iugulo. Ad. 958. Nosse omnia haec salus est adulescentulis. Eun. 940. cfr. Eun. 997. Phorm. 40. al. B. Iam afferam exempla, ubi datiuum loco genetiu uel praepositionis adhibuit Terentius. Uide autem Maduig. Gr. L. §. 241, adn. 1. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inueniam miser? Phorm. 200. cfr. Nequeo mearum rerum initium ullum inuenire idoneum. Hec. 361. Inueni remedium huic rei. Phorm. 616. cfr. Andr. 468. Quod

eius remedium inueniam iracundiae. Phorm. 185; potest quidem esse etiam genetius. Hic adeo his rebus anulus fuit initium inueniundis. Hec. 821. Hem illic est huic rei caput. Andr. 458. cfr. Ad. 568. Ita nostrae omni est faatrix familiae. Eun. 1052. Facite ut uestra auctoritas meae auctoritati faatrix adiutrixque sit. Hec. 48. Uerum si augeam aut etiam adiutor sim eius iracundiae. Ad. 146. Si erit adiutrix nostrae industriae. Hec. 32, quibus duobus locis etiam genet. positus esse potest. Matres omnes filiis in peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria solent esse. Heaut. 991. cfr. ibd. 1007. Si numquam auare statui pretium arti meae. Hec. 49. (et Heaut. 48; sed cfr. Umpfenbachi h. l. adnot). Ut apud me praemium esse positum pietati scias. Hec. 584. Nisi finem maledictis facit. Heaut. 34. cfr. Hec. 96. Tute ipse his rebus finem praescripsi pater. Andr. 151. Praesidium uelle se senectuti suae. Hec. 119. Ei ludo magistrum hanc esse satis certo scio. Hec. 204. Etsi illi pater es. Hec. 258. cfr. Ad. 126. Quae est dicta mater esse ei antehac, non fuit. Heaut. 270. cfr. Hec. 547. Ad. 929. Ei rei firmasti fidem. Hec. 581. Atque huic malo salutem quaerant. Ad. 200. cfr. Phorm. 72. Uidin ego te modo manum in sinum huic meretrici inserere? Heaut. 563. cfr. Ad. 314, 602, Eun. 648. Auctor his rebus quis est? Ad. 671. Nam omnino abhorrere animum huic uideo a nuptiis. Hec. 714. Exple animum eis. Hec. 755. cfr. Eun. 587, 868. Hec. 785, 787. Nulli laedere os. Ad. 864. Atque eis onera adiuta. Hec. 359, i. e. Atque eos onera ferentes adiuta. Quam pridem pater mihi et mater mortui essent. Eun. 518. Animus tibi pendet. Ad. 226. Fratri aedes fient peruviae. Ad. 912. Exsequias Chremeti quibus est commodum ire, em tempus est. Phorm. 1026. In orest omni populo. Ad. 93. Hanc metui ne me criminaretur tibi. Eun. 855, i. e. apud te. Eodem modo: Purgon ego me de istac Thaidi? Eun. 434. Myrrhina ita Phidippo dixit, iuriurando meo se fidem habuisse et propterea te sibi purgatum. Hec. 871. Qua propter te ipsum purgare ipsi coram placabi-

lius est. Ad. 608. Aut ea refellendo aut purgando uobis corrigemus. Hec. 254. Haec cum illi dico, Micio, tibi dico. Ad. 96, ubi uere Donatus: „Illi pro in illum et tibi pro in te.“ Eodem modo: Absenti tibi te indignas seque dignas contumelias numquam cessauit dicere hodie. Phorm. 375. Pergin ero absenti male loqui, inpurissime? Phorm. 372. Hisce addam usum datiuui, qui inuenitur cum uerbo „faciendi“ coniunctus ita ut significet: Mit (in Beziehung auf) thun. Exempla autem sunt haec: Quid hic mihi faciet patri? Andr. 112. cfr. Andr. 143, Eun. 849; Phorm. 850. Sed quid faciemus puero? Hec. 668. Qui casus potest esse etiam ablatus quem saepius datiuo eadem sententia adhibuit. Uide enim: Quid me fiet? Andr. 709. cfr. Andr. 937. Eun. 837. Heaut. 317, 333, 715. Phorm. 137, 811. Heaut. 462. Idem significatur praep. de cum abl.: Quid de me faciam. Ad. 611. cfr. Ad. 996.

## §. 13.

De datiuo obiecti remotioris. Hic datiuus, ut apud omnes Latini sermonis scriptores, ita apud Terent. quoque inuenitur saepissime. Exempla autem omnia huc afferre supersedi cum neque numerus quidquam prosit neque Ter. a ceteris scriptoribus quidquam alienus sit. Adscribam autem haec: Hic nuptiis dictus dies. Andr. 102. Te isti uirum do, amicum, tutorem, patrem. Andr. 295. Nihil est preci loci relictum. Andr. 601. Ego, Pamphile, hoc tibi pro seruitio debeo. Andr. 675. Hanc nisi mors mihi adimet nemo. Andr. 697. Mea consilia ut tibi credam omnia. Eun. 128. Nequam ille hodie insanus turbam faciat aut vim Thaidi. Eun. 616.<sup>1)</sup> Cedo dum, enumquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam? Phorm. 329. Quin nouo modo ei faceres contumeliam? Phorm. 972. Te mihi iniuriam facere arbitror. Hec. 256. Non auderet facere haec uiduae

<sup>1)</sup> „Uim facere in aliquem“ habes. Eun. 807, 963.

mulieri, quae in me fecit. Heaut. 953. Aliquid gnato conficies mali. Heaut. 1003. Et illis morem gessero. Hec. 599. Mihi egit gratias. Ad. 388. <sup>1)</sup> Aliquam puerο nutricem para. Hec. 726. Obsecro, populares, ferte misero atque innocentι auxilium. Ad. 155.

## §. 14.

De datiuo post uerba composita. Apud uerba, quae composita sunt cum praep.: Ad, ante, circum, con, ex, in, inter, ob, post, prae, sub, et simplicem datiuum inueniri et repetitam praep. notum est. cfr. Madu. Gr. L. §. 243 et 245. Ac primum afferam exempla uerb. transit., quae apud Terentium sunt haec: Addere. Uerbum „addendi“ nusquam apud Terentium repetita. praepos. inueni. Aduocere. Quae mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuom. Eun. 794. cfr. ibid. 623. Haut. 1041. „Mihi ante oculos adduxti“ fere idem est atque: Ante oculos meos, ut nos dicimus et: Wie hannst du den Menschen mir vor die Augen fuehren, et: uor meine Augen fuehren. Ad me adducito. Eun. 503. Militem secum ad te quantas copias adducere? Eun. 755. Ad misericordiam ambos adducas cito. Heaut. 995. Numquam animum quaesti gratia ad malas adducam partis. Hec. 836. Ad nequitiem adducere. Ad. 358. Dat. p. h. u. inuenis bis: Heaut. 819 et Hec. 770. Sed priore loco est dat. ethicus (cfr. §. 18), altero dat. commodi. (cfr. §. 12). Itaque semper posuit Ter. praep. et uidc praecipue exempla nouissima, ubi h. u. translate admissum est. Adferre. Haec primum adfertur iam mihi ab hoc fallacia. Andr. 471. Mirabar si tu mihi quicquam adferres noui. Phorm. 490. cfr. Phorm. 553. Heaut. 223. Cras mane

<sup>1)</sup> „Gratiam habere alicui“ habes: Hec. 846, „Gratiam dare alicui“ habes: Hec. 890 et „Gratiam referre alicui“: Hec. 584.

argentum mihi miles dare te dixit: si mihi prior tu attuleris. Phorm. 532. Quae mihi aegritudinem adferat. Heaut. 680. cfr. Hec. 344. Ad. 833. Ut mihi haec certa et clara attuleris. Hec. 841. Quemne ego heri uidi ad uos adferri uesperi? Andr. 768. Nam hic quoque bonam magnamque partem at te attulit. Eun. 123. In hisce duobus exemplis repetita inuenitur praepositio, quia prior et uera notio uerbi retenta est; quae exempla si uertere uelis, etiam in lingua uernacula notionem „motus“ reddere debes; ceteris autem locis iure etiam alia uerba ut „verursachen, geben, melden“ adhibere potes. Adicere. Ad uirginem animum adiecit. Eun. 143. al. non legi. Adigere. Tu homo adigis me ad insaniam. Ad. 111. bis legi cfr. Eun. 219. Adiungere. Ut animum ad aliquod studium adiungant. Andr. 56. cfr. Hec. 683. Cum datiuo hoc uerbum a Terentio non coniunctum est. Sed a uerbo „iungendi“ datiuum pendentem facit Terent.: Refert gratiam ei unaque nos sibi opera iungit. Hec. 798. Adpellere. Poëta cum primum animum ad scribendum adpulit. Andr. 1. cfr. ibid. 446. Admittere. Eo ad eam non admissa sum. Hec. 238. cfr. Eun. 281. Dicendi formula: „Admitto aliiquid in me“ saepius inuenitur, uelut Ad. 682. Adcersere. Obstetricem accersitum ad eam. Andr. 515. cfr. Eun. 510. Hec. 184, 466. Quod uerbum c. dat. nondum coniunxit Ter. Idem dicam de uerbo inseguente. Adplicare. Tum ille egens forte applicat primum ad Chrysidis patrem se. Andr. 924. cfr. Heaut. 393. Ipsum animum aegrotum ad deteriorem partem plerumque adplicat. Andr. 199. Repente ad studium hunc se applicasse musicum. Heaut. 23. Adportare. Nuntium adporto tibi. Heaut. 427. Ne ille haut scit, hoc paulum lucri quantum ei damnum adportet. Heaut. 747. Praep. repetitam non inueni. Conferre. Conferas culpam in me. Eun. 388. i. e. beimessen. Uerum enim si ad rem conferentur (sc. uerba) uapulabit. Eun. 742. i. e. uebergehn. Comparare. Ne comparandus hic quidem ad illumst.: ille erat honesta facie et liberali. Eun. 681. Committere. Ego me tuae commendo et

committo fidei. Eun. 886. cfr. Andr. 230, 241, 609. Eun. 667, 832. Heaut. 966. Hec. 212. Ad. 551. Inuenitur etiam praep. „in“: Ut tergum meum tuam in fidem committam. Hec. 109. Qui in tutellam meam studium suom et se in uestram commisit fidem. Hec. 53. Eripere. Crucior bolum tantum mihi erectum tam de subito e faucibus. Heaut. 673. Atque ex crimine hoc Antiphonem eripiam. Phorm. 323. Domo me eripuit. Ad. 198. Ut illam a me eripiat. Eun. 739. cfr. ibid. 752. A lenone ipius eripuit palam. Ad. 328. Qui lenoni eripit meretricem Ad. 8. Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet? Ad. 238. Cum hanc sibi uidebit praesens praesenti eripi. Ad. 668. Adulescenti ipsi eriperem oculos. Ad. 318. Coniunxit igitur Ter. cum h. u. praep. „e“, si inuenitur uera notione, praep. „ab“ et simpl. datiuum, si translate adhibitum est. Nam per se quidem in omnibus exemplis praepositionis „a“ poni potuit etiam datiuus. „Eripere autem aliquem ab aliquo“ magis perspicue dictum est. Iponere. In ignem inpositast. Andr. 129. Ceteris locis nihil tale additum est. Inpingere. Dicam tibi inpingam grandem. Phorm. 439. Infringere. Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi. Ad. 199; semel legi. Inicere. Iniecta est spes patri. Phorm. 691. cfr. Ad. 228. Magnam mihi inicit sua commoditate curam. Ad. 710. Sed: Quae sese in ignem inicere uoluit. Andr. 140. Inserere. Uidin ego te modo manum in sinum huic meretrici inserere? Heaut. 563. Obdere. Pessulum ostio obdo. Eun. 603. cfr. Heaut. 278. Obicere. Ut hanc laetitiam nec opinanti primus obicerem ei domi. Heaut. 186. Hoc esse mihi obiectum malum! Phorm. 503. cfr. Hec. 286. Ad. 610. Obtrudere. Ea quoniam nemini obtrudi potest. Andr. 250. cfr. Hec. 295. Offerre. Optume nahi te offers. Andr. 686. cfr. Hec. 281, 370, 383, 740, 816. Ad. 322, 978. Posthabere. Nam omnis posthabui mihi res, ita uti par fuit. Phorm. 908. Postputare. Cum te postputasse omnes res prae parente intellego. Hec. 483. Qui ignominias sibi postputauit esse prae meo commodo. Sed hoc loco

„post“ referendum est ad „esse“ ita ut sit: Quia putauit ignominias sibi (- suas) postesse praem eo commodo. cfr. Sall. Cat. 23,7: Ubi periculum aduenit, inuidia atque superbia postfuere. Praeficere. Elephantis quem Indicis praefecerat. Eun. 413. cfr. Eun. 540. Praeponere. Si fidem habeat se iri praepositum tibi aput me. Eun. 139. cfr. Hec. 583. Andr. 65. Iam ad illa transeam uerba, quibus intransitiis eadem ratione usus est. Accidere. Horum nihil quicquam accidet animo nouom. Phorm. 250. cfr. Hec. 362; accidere in: istuc uerbum in te accidit. Andr. 885; i. e. passte auf dich. Accedere. Ad flammarum accessit. Andr. 130. cfr. Eun. 85. Non accedam ad illos? Heaut. 583. cfr. ibd. 809. Phorm. 864. Hec. 181. Ad. 970, Andr. 123. Ad fores accedo proprius. Hec. 316. cfr. Ad. 632. Ad haec mala hoc mihi accedit. Andr. 215. Haut inuitu ad aures sermo mihi accessit tuos. Hec. 482. Uoluntas nostra si ad poëtam accesserit. Phorm. 29. Itaque semper ap. h. u. usus est Ter. praep. etiam loc. nouiss., ubi translate adhibitum est. Adesse. Adesse alicui = herzukommend dasein, sich einstellen: Eccum Dromonem cum Syro una: adsunt tibi. Heaut. 241. cfr. ibid. 160, 176, 243. Eun. 367, 811. Phorm. 97, 484. Quis pudor paulum adest. Andr. 630. Dona adsunt tibi a Phaedria. Eun. 464. Adesse in aliqua re = zugegen sein: In denegando modo quis pudor paulum adest. Andr. 630. Cum in pariundo aliquib adfuerunt liberae. Andr. 771. cfr. Eun. 893. Hec. 410. Adesse alicui in aliqua re = beistehn in . . .: Uolo ego adesse hic aduocatos nobis in turba hac. Eun. 764. „Adesse ad aliquid“ habes: Ille ad defendendam causam adest. Phorm. 266. Ad hanc rem qui adsent. Phorm. 313. Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem. Phorm. 105. Adridere. Nulli laedere os, adridere omnibus. Ad. 864. cfr. Eun. 250. Adsentari. Nam qui huic animum adsentari induxeris. Eun. 490. Antecedere. Uerum haec (dies) ei antecessit. Phorm 525. Anteuortere. Miror, ubi ego huic anteuorterim. Eun. 738. Congruere. Ne nosmet inter nos congruere sentiant. Heaut.

511. Conuenire alicui et alicui rei. Haec fratri mecum non conueniunt neque placent. Ad. 59. Mulier mulieri magis conuenit. Phorm. 726. Num uidentur conuenire haec nuptiis? Andr. 366. Conuenire in aliquem: In me quiduis harum rerum conuenit. Heaut. 876. Conuenit inter: Primos dies complusculos bene conueniebat sane inter eas. Hec. 178. cfr. ibid. 659. Conuenire c. aliquo mit einem uebereinstimmen ap. Terent. non inueni. Consuescere. Quod uerb. semel c. ablat. coniunctum est: Qui illa consueuit prior? Ad. 666. Ceteris locis (Phorm. 873, Hec 555) adiuncta est praep. „cum“, datiuus nondum inuenitur. Uerbum autem „adsuescendi“ non uidetur esse Terenti neque uerbi „insuescendi“ exemplum (Ad. 55) huc referri potest. Incidere. Incidit alicui (alicui rei) aliquid: Redeundi interea ex ipsa re mihi incidunt suspicio. Andr. 395. cfr. ibid 501. Ut numquam ulla amori uestro incidere possit calamitas. Heaut 395. Incido in aliquid: Iocularium in malum insciens paene incidi. Andr. 782. cfr. Heaut. 442. Ego in eum incidi infelix locum. Phorm. 175. Incidit mihi in mentem: Quod cuique cumque inciderit in mentem. Heaut. 484. cfr. Phorm. 157. Inesse. Tristis seueritas inest in uoltu atque in uerbis fides. Andr. 857. Nam si periculum ullum in te inest. Hec. 326. In amore haec omnia insunt uitia. Eun. 59. Magnum inesse in ea lucrum. Heaut. 609. Ni uis boni in ipsa inesset forma. Phorm. 108. Multa in homine signa insunt. Ad. 822. Quae ego inesse in illis uideo. Ad. 826. Cum datiuo hoc uerb. non coniunxit Ter. Innasci. Tanta uercordia innata cuiquam ut siet. Andr. 626. Intercidere. Si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit. Andr. 961; repetitur praep.: Unde ire inter eas intercessit, Hec. 305. Interesse. Stulto intellegens quid interest? Eun. 232. cfr. etiam: Hoc pater ac dominus interest. Ad. 76. Interloqui. Sicine mihi interloquere? Heaut. 691. Interuenire. Sed neminemne curiosum interuenire nunc mihi! Eun. 553. Nulla mihi res posthac potest iam interuenire tanta. Heaut. 679. Ubi de inprouiso est interuentum.

mulieri. Heaut. 281. Interuenire inter: Omnem rem narrabit, quae inter nos interuenerit. Hec. 351. Optingere. Hoc confiteor iure mihi optigisse. Andr. 608. cfr. ibid. 966. Phorm. 239, 577, 820. Heaut. 683. Hec. 579. Ego huius memoriam patiar meae uoluptati obstare? Andr. 944. cfr. Eun. 483. Heaut. 498; Hec. 596. Obesse. Quod peccauit ego, id obesse huic? Heaut. 974. cfr. Hec. 735. Subolere. Num quid patri suboleat? Phorm. 474. Praestare. Homini homo quid praestat? Eun. 232. cfr. Heaut. 876; Phorm. 790. In uniuersum hoc statui potest de usu dat. et praep. Exceptis eis praecipue uerbis, quae composita sunt cum praep. „ad“ et „in“, repetita praep. inuenitur, si prior et uera notio uerbi retenta est, datinus uel praep., si translate uerba adhibentur. Singula videbis in extremo libro.

## §. 15.

De dat. post uerba simplicia. cfr. Madu. Gram. Lat. §. 244. Liceat hoc loco uerborum minoris momenti, in quibus neque diuersitas neque memorabile quidquam potuit inueniri, unum tantum afferre exemplum. Prodesse. Dum prosim tibi. Andr. 677. Incommodeare. Mihi ut incommodeat. Andr. 162. Expediit. Nam expedit bonas esse uobis. Heaut. 388. Aduersari. Neque tuae libidini aduersator. Hec. 245. Commodare. Illi ut commodem. Hec. 760. Dolere. Ut aut hoc tibi doleret itidem ut mihi dolet. Eun. 93. cfr. Eun. 430. Phorm. 1053. Ad. 272, 451, 682. Subuenire. Orare ut subueniat sibi. Phorm. 8. Suppeditare. Nam si illi pergo suppeditare sumptibus. Heaut. 930. „Sumptibus“ est abl. instrumenti. Ut tuo amori suppeditare possint, sine sumptu tuo omnia haec. Eun. 1076. Fauere. Nam illi faueo virgini. Eun. 916; semel legi. Ignoscere. Ignosco tibi. Eun. 879. cfr. Heaut. 1049, 1066. Andr. 678. Nam ea aetate iam sum, ut non siet peccato mihi ignosci aequom. Hec. 737; quo loco abl. absol. (peccato) positum esse putauerim. Ignoscere ali-

quid: Nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati locus. Heaut. 218. cfr. Heaut. 647. Phorm. 1015. Indulgere. Nimis mihi indulgeo. Eun. 222. cfr. Heaut. 861. Uestitu nimio indulges. Ad. 63. Datuum desinentem et in „u“ et in „ui“ Ciceronis temporibus in usu fuisse notum est. Aecus. autem innenitur: Te indulgebant. Heaut. 988. Inuidere. Inuidere omnes mihi. Eun. 410. Illi inuidere misere. Eun. 412. Insidiari. Hiscine tu amabo non contra insidiabere? Hec. 70; semel legi. Auxiliari. Tibi non potis esse auxiliarier. Heaut. 923. cfr. Ad. 273. Patrocinari. Uos me indotatis modo patrocinari fortasse arbitramini: etiam dotatis soleo. Phorm. 939. Auscultare. Uin tu huic seni auscultare? Ad. 906. Mederi. Quas, cum res aduersae sient, paulo mederi possis! Phorm. 822. semel legi. Medicari. Eius labore atque eius dolore gnato ut medicarer tuo. Andr. 831. Cum ego possim in hac re medicari mihi? Andr. 944. Parcere. Nihil parcunt seni. Heaut. 43. cfr. ibid. 164. Meo labori haud parcens. Hec. 226. Suadere. Et is mihi suadet. Andr. 577. Persuadere. Qui tam facile potueris persuadere illi. Heaut. 363. Placere. Atque ipsis commentum placet. Andr. 225. Displacere. Quam nunc totus displico mihi. Heaut. 1043. Imperare. Et mihi ne abscedam imperat. Eun. 578. cfr. Ad. 77. Eun. 252, 594. Obsequi. Eorum obsequi studiis. Andr. 64. cfr. Andr. 163, 822. Heaut. 259, 1040. Hec. 122, 247, 448, (688), 690. Ad. 33, 224. Optemperare. Nam mihi iam minus minusque optemperat. Heaut. 594. cfr. Hec. 512. Ad. 705. Parere. Meis dictis qui parere hanc postulem. Hec. 564; semel legi. Seruire. Ea seruiebat lenoni inpurissimo. Phorm. 83. Subseruire. Tu ut subseruias orationi. Andr. 735. Irasci. Ut cum uelit tibi iure irasci non queat. Andr. 394. Suscensere. Sed est quod suscenset tibi. Andr. 448. cfr. Andr. 654. Heaut. 915, 976. Phorm. 259, 260, 361, 546. Maledicere. Nescis cui maledicas nunc uiro. Eun. 799. cfr.

Phorm. 15. Hec. 590. <sup>1)</sup> Credere. Credis huic qnod dicat? Eun. 705. Exempla uerborum „fidendi“, „diffidendi“, (quae non sunt Terentiana) „confidendi“ (cfr. Heaut. 160. Ad. 826) non inueni. Nubere. Filiam meam nubere tuo gnato. Andr. 535. cfr. Heaut. 691, 935. Phorm. 126. Ad. 652. Datur illa Pamphilo hodie nuptum? Andr. 301. cfr. Phorm. 720. Nuptum uirginem locauit huic adulescenti. Phorm. 752. Esset cum illo nupta. Hec. 534. cfr. Hec. 539, 656. Phorm. 304, 817. „Nuptam esse alicui“ apud Ter: non inueni. Supplicare. Huic supplicabo. Andr. 312. cfr. Hec. 500. Contingere. Haec tot propter me gaudia illi contigisse laetor. Hec. 833. Euenire. Quod tibi euenit boni. Andr. 968. cfr. Eun. 999, 1003. Heaut. 157, 355, 685. Phorm. 705. Hec. 59, 279, 415, 794. 839, 872. Lubet. At mihi nunc sic esse hoc uerum lubet. Andr. 958. cfr. Hec. 56. Ad. 991. Andr. 263. Licet. Immo aliis si licet, tibi non licet. Heaut. 797. cfr. Andr. 443. Heaut. 103, 560. Phorm. 406, 813. Eun. 262. Hec. 30. Ad. 179, 824. Accusat. cum inf. ab hoc uerbo pendentem fecit Terentius: Non licet hominem esse saepe ita ut uolt. Heaut. 666. cfr. Heaut. 672. Hec. 10. Ad. 334. Obuiam fieri, similia. Opportune hic fit mihi obuiam. Andr. 590. Eun. 328, 843. Concurrunt laeti mihi obuiam. Eun. 256. Abi dum tu illis obuiam. Heaut. 249. Illam totam familiam dari mihi obuiam. Ad. 311. Te optulisti mihi obuiam. Ad. 322. Tu pueris curre obuiam. Hec. 359. At ego obuiam conabar tibi. Phorm. 52. scil. ire. Filium mihi ire obuiam. Phorm. 253. Ipse est, quem uolui obuiam. Phorm. 196. scil. mihi fieri. Supplicem esse. Ne quoiquam suorum aequalium supplex siet. Phorm. 887. Temperare. Ex quare minus rei foret aut famae temperans. Phorm. 271.

---

<sup>1)</sup> „Male facere alicui“ habes Ad. 464, „male loqui alicui“ Phorm. 372; „male uertere alicui“. Phorm. 678. („Bene, mala esse alicui.“ Ad. 94.) „Male uelle alicui“ Eun. 655. „Aegre facere alicui“ Eun. 624.

## §. 16.

De uerbo „sum.“ In uerbo „sum“ si nostram spectare uelis loquendi consuetudinem saepius inesse uim „habendi“ notum est. Qua proprietate latini sermonis Ter. quoque usus est quam maxime atque elucet, hunc datuum maxime in usu fuisse in sermone familiari. Cfr. A paruolo ut semper tibi apud me iusta et clemens fuerit seruitus, scis. Andr. 35. cfr. Andr. 37. Nam Andriae illi id erat nomeu. Andr. 85. Num quidnam amplius tibi cum illa fuit? Andr. 325. cfr. Eun. 91, 511. Heaut. 183. Nulla ne in re esse cuiquam homini fidem! Andr. 425. cfr. Eun. 12. Quae nunc sunt certa ei consilia. Andr. 390. Arbitror aliquem esse amicum et defensorem ei. Andr. 813. Quid istic tibi negotist? Andr. 849. cfr. Phorm. 748. Hec. 807. Ad. 638, 642. Samia mihi mater fuit. Eun. 107. cfr. ibid. 260. Olim isti fuit generi quondam quaestus. Eun. 246. Tantumne ab re tuast oti tibi aliena ut cures? Heaut. 75. cfr. ibid. 181, 347. Quodsi tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est, tum sentias. Phorm. 171. cfr. ibid. 36, 39. Cras est mihi iudicium. Eun. 338. Tum temporis mihi punctum ad hanc rem est. Phorm. 184. cfr. Ad. 644. Mihi sciunt nihil esse. Phorm. 334. Suos cuique mos. Phorm. 454. Unde illi sunt ancillae? Heaut. 246. cfr. ibid. 253, 267. Summa eludendi occasioſt mihi nunc senes. Phorm. 856. cfr. Hec. 746. Ad. 420. Et illut mihi uitiumſt maximum. Hec. 112. cfr. ibid. 595, 625, 626, 695, 666. Hic tibi nihil est quicquam incommodi. Hec. 400. cfr. ibid. 474. Ut alii, si huic non est, siet. Hec. 509. Cum sit mihi adiutrix socrus. Hec. 705. cfr. ibid. 650, 721. Nihil tibi est a me pericli. Hec. 736. Fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem. Ad. 259. cfr. ibid. 126. Quae secunda ei dos erat. Ad. 345. Illius modi iam nobis magna ciuium penuriast. Ad. 441. cfr. ibid. 529, 555. Pro patre

huic est. Ad. 951. cfr. ibid. 665, 671. Numqui minus mihi idem ius aequomist esse? quid mecumst tibi? Ad. 801. Dicendi formulae: Mihi est nomen exempla Terentiana sunt haec: Hecyra est huic nomen fabulae. Hec. 1. Tu tibi nomen dic quid est. Mihin? Phormio. Phorm. 1048. Chrem.: Nomen mulieri cedo quid sit, ut quaeratur. Sostr.: Philterae. Heaut. 662.

### §. 17.

De dat. post adiectiuia. **Alienus**. Ego uobis, Geta, alienus sum? Phorm. 545. i. e. ich bin euch fremd? Saepius autem coniunxit hoc adi. eadem significatione (= fremd, nicht passend) cum praep. „a“ neque abnuerim hac ratione emendationem exempli nouissimi, praesertim cum ne metrum quidem repugnet: Ego a uobis cet. Humani nihil a me alienum puto. Heaut. 77. Hoc alienum a uita mea uidetur. Ad. 944. Quodsi inest in h. adiect. uis: feindlich, abgeneigt, semper cum praep. „a“ et abl. coniunctum est; cfr. Postquam hunc alienum ab sese uidet. Hec. 158. Cum eius alienum esse animum a me sentiam. Hec. 658. Alienus est ab nostra familia. Ad. 326. Alieno animo a nobis esse. Ad. 338. Amicus. Homo amicus nobis iam inde a puero. Ad. 440. cfr. Hec. 597. Inimicus. Qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi. Eun. 802. Aequus. Hicine libertatem aiunt esse aequam omnibus? Ad. 183. al. Iniquus. Quod adiectium cum dat. positum a Terentio non inueni sed semper addidit praep. „in“; cfr. Quam iniqui sunt patres in omnes adulescentis iudices! Heaut. 213. Cum illa, quae nunc in me iniqua est, aequa de me dixerit. Hec. 475. Quibus iris pulsus nunc in illam iniquos sim? Hec. 485. Adfinis. Adfinis nobis. Ad. 948. Genetiuum notione: betheilitgt sein habes: Neque illarum adfinis esse rerum, quas fert adulescentia. Heaut. 215. Modo substantiu hoc uerbo usus est Terent.: Bacchidem ab nostro adfine

exeuntem uideo? Hec. 807. al. Aduersus. Aduersus nemini. Andr. 64. cfr. Eun. 325. Hec. 202. Heaut. 699. Carus. Neque meo cordi esse quemquam cariorem. Eun. 201. al. Conscius. Conscium esse alicui: Qui tam audacis facinoris mihi conscious sis. Phorm. 156. cfr. Heaut. 121. Sibi conscientium esse: Ego conscientia mihi sum, a me culpam esse hanc prccul. Ad. 348. cfr. Eun. 199. Commodus. Hoc et uobis et meae commodum famae arbitror. Hec. 585. al. Sed: Sic pol commodius esse in omnis arbitror. Phorm. 814. Incommodus. Hoc ego proferre incommodum mihi esse arbitror. Hec. 153. Cognatus. Tum is mihi cognatus fuit. Andr. 926. Ita inuenitur saepissime; modo substantiui: Hegioni cognato huius rem enarrato omnem ordine. Ad. 351. cfr. Eun. 328. Phorm. 366. Communis. Hoc adi. nusquam a Ter. cum dat. coniunctum est. cfr. enim: Et haec communia omnium quae sunt patrum. Hec. 117. cfr. Ad. 188, 793, 804, 953. Fidelis, benignus, clemens. Quam fidi animo et benigno in illam et clementi fui. Hec. 472. Ceteris locis adi. „benignus“ et „clemens“ absolute dicta sunt, adi. „fidelis“ cum dat. coniunctum. cfr. Phorm. 76, 581. Andr. 460. Hec. 59. Familiaris. Qui ipsi sit familiarior. Phorm. 721. Facilis, beniuolus. Facilem beniuolumque lingua tua iam tibi me reddidit. Hec. 761. Adi. „facilis“ etiam al. inuenitur et adi. „beniuolus“ Phorm. 97, ubi coniungenda sunt: illi — aderat. Gratus: Quam hoc munus gratum Thaïdi arbitrare esse? Eun. 275. cfr: ibid. 396, 723. Heaut. 262. 445. Sed: Ut esset apud te hoc quam gratissimum. Heaut. 368. Et id gratum fuisse aduersum te habeo gratiam. Andr. 42. Coniungenda sunt „aduorsum te“ cum „id gratum fuisse“ ita ut „adu. te“ significant: ratione tui habita, quamquam fuerunt, qui coniungerent „aduorsum te habeo gratiam“ ita ut „aduorsum“ idem esset atque „erga.“ (Uerba sunt Holtzei p. 210). Idoneus. Quod illa aetas magis ad haec utenda idonea est. Heaut. 133: Intumus. Qui intumust eorum consiliis. Andr. 576. Inuisus. Nos sumus inuisae uiris. Hec. 274. al. Molestus.

Num illi molestae quidpiam haec sunt nuptiae? Andr. 438. al. Morigerus. Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus. Andr. 294. Obnoxius. Tum uxori obnoxius sum. Hec. 302. Propior, proximus. Ut propior illi nemost. Phorm. 808. Proximam esse huic fundo ad dexteram? Heaut. 732. Propitius. Satin illi di sunt propiti. Phorm. 636. Reliquus. Ut spes nulla relicua in te sit tibi? Eun. 240. al. Secundus. Si mihi secundae res de amore meo essent. Heaut. 230. al. Similis. A quo adiectuo Terent. semper genetuum pendentem fecit; cfr. enim: Per pulchra credo dona aut nostri similia. Eun. 468. Ita inuenitur in cod. A. Bentleius quidem, Donatum, Priscianum, nonnullos cod. secutus scripsit: nostris (sc. donis). Sed hic datiuus post adi. similis uidetur alienus esse a Ter. dicendi genere itaque scripsit Fleckeisenus nostrum. Sed potest lectio cod. A seruari, namque interdum apud Graecos et Latinos ipsa persona dicta est pro eo, quod proprium est personae. Tale exemplum etiam ipse Ter. nobis dedit. Heaut. 393: Cuius mos maximest consimilis uostrum; non enim „mori“ mente addendum est ad „uostrum“. Literam „s“ autem in „nostris“ facillime potuisse oriri ex inseq. lit. „s“ intellegimus. Haut similis uirgost uirginum nostrarum. Eun. 313. Domini similis es. Eun. 496. (Nam tui similis est probe. Heaut. 1020). Quam uterque est similis sui. Phorm. 501. Nullum huius simile factum. Ad. 96. Est similis maiorum suom. Ad. 411. Quia uidebitur magis ueri simile id esse. Heaut. 802. al. Si quid huius simile euenerit. Heaut. 551. Nonne hoc monstri similest. Eun. 334. Contra adiectuum: Consimilis et cum genetuo: Cuius mos maximest consimilis uostrum. Heaut. 393. et cum datiuo positum est: Isti formae ut mores consimiles forent. Heaut. 382. Potest quidem esse etiam genetiuus; cum antiq. scriptores forma „isti“ etiam pro „istius“ uterentur. cfr. Neue, Formenlehre d. lat. Spr. II, 151. cfr. Heaut. 1019, ubi tamen abl. intellegi potest. Exemplum adiectiui: dissimilis apud Terentium non inueni. Superstes. Ita mihi atque huic si<sup>s</sup>

superstes. Heaut. 1030; absol. dictum est Andr. 487. al. non legi. Summus. Nam is nostro Simulo fuit summus. Ad. 352. Suspectus. Nostras mulieres suspectas fuisse falso nobis in re ipsa inuenimus. Hec. 777. al. Proprius. Nihilne esse proprium cuiquam! Andr. 716. Huc referendum non est exemplum: Ego deum uitam propterea sempiternam esse arbitror, quod uoluptates eorum propriae sunt. Andr. 960; quo loco genet. „eorum“ ad „uoluptates“ referendus est. Uicinus. Set istam Thaidem non sciui nobis uicinam. Eun. 359.

### §. 18.

De dat. ethico. Quid mihi hic affers, quam ob rem expectem aut sperem, porro non fore? Phorm. 1025. Immo etiam narrationis incipit mihi initium. Andr. 709. Dixin ego in hoc esse uobis Atticam elegantiam? Eun. 1093. Pytisando modo mihi quid uini absumsit! Heaut. 457. Mihi amicā adduxti, quam non licitumst tangere. Heaut. 819. Ut uos mihi domi eritis. Hec. 218. Continuo iniecissem uerba tibi Dromonem scilicet. Heaut. 892. Quid ait tandem nobis San-nio? Ad. 276. Rogas me, ubi nobis Aeschinus siet? Ad. 82. Hi mihi ne corrumpantur cautiost. Ad. 421. Ille bonus uir nobis psaltriam, si dis placet, parauit, quicum uiuat. Ad. 476. Nam is mihi profecto est seruos spectatus satis. Ad. 893. Huc quoque referenda sunt locutiones istae: „Quid sibi uult“ etc. cfr. Quid igitur sibi uolt pater? Audr. 375. cfr. ibid. 457. Eun. 45, 559, 798, 804, 1007. Heaut. 61, 331, 615. Phorm. 843, 946. Quid sibi hic uestitus quaerit. Eun. 558.

### §. 19.

De datiuo, quo finis et consilium exprimitur. Datium saepius in lingua lat. cum uerbis coniungi, quo finis et consilium uerbi exprimatur, notum est. Uerba Terentiana in hunc modum adhibita sunt haec: Aut tibi nuptiae haec sunt

cordi. Andr. 328. cfr. Phorm. 800. Nam mihi impedimento estis. Andr. 707. cfr. Eun. 439, 1004. Andr. 445. Haec non uoluptati tibi esse, satis certo scio. Heaut. 71. cfr. Hec. 860. Heaut. 1024. Phorm. 588. Si una haec dedecori est parum. Heaut. 334. Quapropter haec res ne utiquam neglectust mihi. Heaut. 357. Fuit indicio oratio. Heaut. 384. Ita magno desiderio fuit ei filius. Heaut. 753. cfr. ibid. 992. Omne tempus lucrost. Hec. 287. Cui odio ipsus est. Hec. 343. Est mihi curae. Ad. 129, 680, 894. Qui alicui rei est. Ad. 358. Hoc laudi est. Ad. 418. Ne morae meis nuptiis egomet siem. Ad. 712. cfr. ibid. 904. Exemplo omnibus curarem ut esses. Ad. 771. Matri puellam dono quidam mercator dedit. Eun. 109. cfr. ibid. 654, 749, 983. Hoc uitio datur. Ad. 418. cfr. Andr. 8. Dicit secum una uirginem dono huic. Eun. 229. Me mea omnia bona doti dixisse illi. Heaut. 942. Laudin an uitio duci it factum oporteat. Ad. 5. cfr. Ad. 105. Utrum studione id sibi habet an laudi putat fore? Ad. 382. Nisi me credo huic esse natum rei ferundis miseriis. Ad. 545. Emit eam dono mihi. Eun. 135. Cum is nihil mereat, postulare id gratiae apponi sibi. Andr. 331. cfr. Quem Fors dierum cunque dabit lucro Appone. Horat. Carm. I, 9, 15. Ager oppositus pignori. Phorm. 661. Eam ludibrio haber. Hec. 149. cfr. ibid. 526.

### §. 20.

De datiuo apud participia uerb. passiu. Interdum Tarentius pro praep. „a“ c. abl. posuit datiuum, qui est datiuus commodi. Non sat commode diuisa sunt temporibus tibi, Daue, haec. Andr. 476. Nam mihi immortalitas partast. Andr. 960. Uobis cum uno semel ubi aetatem agere decreturnst uiro. Heaut. 392. Meditata mihi sunt omnia mea incommoda, erus si redierit. Phorm. 248. Iam instructa sunt mihi in corde consilia omnia. Phorm. 321. Uin satis quae situm mihi istuc esse? Phorm. 811. Unde haec susceptast

tibi? Phorm. 967. Pro praep. „a“ c. abl. habes praep. „aput“: Ut aput me praemium esse positum pietati scias. Hec. 584. Si fidem habeat se iri praepositum tibi aput me. Eun. 139. Legem autem illam, qua Romani apud part. fut. pass. personam in datiuo adiunixerunt, Ter. seruauit accuratissime. cfr. Spectandae an exigendae sint uobis prius. Andr. 27. Alieno more uiuendumst mihi. Andr. 152. cfr. ibid. 167, 254, 695. Eun. 637. Heaut. 39, 509, 593, 739, 840. Phorm. 202, 207, 318, 460, 890. Hec. 414, 425. Huc non spectat: Ea primum ab illo animaduertenda iniuriast. Andr. 156, ubi „ab illo“ referenda sunt ad „iniuria“ sc. iniuria quae ab illo profecta est.

Haec igitur, si singula rursus perlustramus, maxime erunt memoratu digna.

### §. 2.

„Fugere“ inuenitur cum accus et praep. „e“.

### §. 3.

Uerba, quae intransitiua pro transituis posuit Ter., sunt: Mirari, demirari, lamentari, manere, gratulari, ridere, ludere, olere, callere, deperire, somniare. „Abuti“ inuenitur cum accus., „uti“ cum accus et (saepius) cum abl., „fungi“ cum accus. et (semel) cum abl., „frui“ cum accus. et saepius cum. abl., „potiri“ cum abl. et saepius cum accus., carere cum accus., genet., abl.

### §. 4.

„Adire“ habet promiscue simpl. accus. et praep. „ad“, sed praeualeat simpl. accus. Adoriri, anteire, circumuenire, circumire translate iunguntur cum accus. Adcurrere habet

praep. „ad“, condonare dupl. accus., itidem ut donare, conloqui praep. „cum“ et accus., inludere accus. (saepissime), praep. „in“ cum accus., praep. „in“ cum abl., adludere praep. „ad“; adloqui, conuenire (-antreffen), exire, ingredi (notione uera), inire, deludere, eludere, inridere, deridere, impendere, inscribere, insistere, insultare (non translate), obire, praeterire (semper), impertire, induere, praestolari praebent simpl. accus. Inruere, incedere, inuolare, inspicere habent praep., respicere praep. „ad“ et translate simpl. accus.

### §. 5.

a | „Pudet“ inuenitur person. (ui trans. et intrans.) et impers., praeterea notione: sich uor einem schaemen; „piget“ pers. et impers., „pacnitet“ impers., „miseret“ person. et impers., „taedet“ impers., „decet“ cum dat. et (saepius) accus.

### §. 6.

Terentiana sunt: Probare (se) pro aliquo, dare cum dupl. accus. et se dare aliquo modo, praebere se aliquem et praebere aliquem.

### §. 7.

Edocere, poscere, reposcere, percontari non praebent dupl. accus. neque orare et rogare nisi apud pronomina. Postulare, petere, impetrare, optare semper habent praep. „ab“; monere, admonere, adhortari non inueniuntur cum dupl. accus., nisi apud pronom.; semper dixit Ter.: Quaesodo (non: a deis), ut —.

### §. 9.

Apud nomina urbium semper omisit Ter. praep., posuit bis apud nomina insul. minor. Praeterea habes: Inficias ire, exsequias ire, malam rem ire.

## §. 11.

Ter. interi. „o“ cum nominatiuuo loco accusatiui exclam. aut uocatiui adlocutionis non uidetur iunxisse. Eho, heus, eu, euge, pro (excepto: pro deuni fidem) semper praebent uocatiuum adlocutionis; heu semper accus. exclamatonis. Ecce semper habet accus. ac saepissime superuacaneum pron. demonstr. „is“, praeterea plerumque cum pronomine inseq. in uerbum unum coalescit. Em. A. Inest uis demonstr. atque coniungitur a) cum accus. b) cum datiuo; B. inest uis adlocutionis et coniungitur cum uocatiuo. Ei, uae semper inueniuntur cum dat. Uah uidetur praebere accus. exclam.

## §. 12. B.

Cum uerbo faciendi etc. notione: mit iemand thuen etc. saepius iunxit abl. quam datiuum; bis inuenitur praep. „de.“

## §. 14.

„Addere“ nusquam repetita praep. inuenitur. „Adducere“ semper praebet, notione uera et translata, repetitam praep.; adferre datiuum notione translata, repetitam praep. notione uera; adicere, adigere, adiungere, adpellere repetunt praep., sed post simplex: iungere inuenitur datiuus. Adportare non repetit praep.; admittere, aduersere, adiplicare semper repetunt praep. Uerba composita cum praep. „cum“: conferre, comparare, committere non repetunt praep., sed ponunt aut aliam praep. (conferre in aliquem, conferre ad, comparare ad, committere in) aut datiuum (committere alicui). „Eripere“ habet repetitam praep. et praep. „a“ et datiuum. „Imponere“ repetit praep. „Impingere, infringere“ habent datiuum. Inicere uera notione repetit praep., ceteris locis habet datiuum. Inserere repetit praep. Uerba compos.

cum praep., „ob“ (obdere, obicere, obtrudere, offerre) semper praebent dat. „Posthabere“ habet datium et „postputare“ praep. „prae.“ Accedere semper, notione uera et translate, repetit praep. „Adesse“ repetit praep. notione: beistehn, unterstuetzen, si sermo est de rebus, eadem significatione habet datium, si sermo est de personis; adesse in = zugegen sein, adesse alicui = fuer iemand dasein. Adridere, adsentari habent dat., itidem antecedere, anteuartere. Congruere notione translata habet praep. „inter“; conuenire habet notione translata datium, praep. „in“ et „inter“, non praep. „cum“. = mit einem uebereinstimmen. Consuescere praebet ablat. et praep. „cum“, non inuenitur datiuus. Incidere notione translata semper habet dat., notione: hineingerathen repetit praep. Inesse semper repetit praep. Innasci, innuere, intercedere habent datium, intercedere repetit etiam praep. notione translata. Interesse inuenitur c. dat. et dupl. nominatiuo. Interloqui habet datium, interuenire datium et repetitam praep. Obstare, obesse, subolere, praestare habent datium.

### §. 15.

„Indulgere alicui“ dixit Ter. et „indulgere aliquem“, „mederi aliquid“, „nuptam esse cum“ non „nuptam esse alicui“.

### §. 16.

In dicendi formula: Mihi est nomen praetulit Terent. nominatiuum, semel fortasse usus est datiuo.

### §. 17.


„Alienus“ semper uidetur (semel est res dubia) habere praep. „ab“; „iniquus“ semper habet praep. „in“; „adfinis“ habet datium, genetium, naturam substantiui. Inuenitur

apud Ter.: conscientum esse alicui et sibi conscientum esse: commodum esse alicui et in aliquem, cognatum esse alicui et alicuius (modo subst.) „Communem esse“ semper coniunctum est cum genet., praeterea habes: Benignum esse in aliquem, gratum esse alicui (saepe) gratum esse apud — (semel) gratum esse aduersum — (semel) idoneum esse ad —. Similem esse semper coniunctum est cum genetive. „Consimilem esse“ uidetur cum genetivo et dativo positum esse.

---









---

|

Li 6.552  
De accusativi et dative usu Terenti  
Widener Library

006883958



3 2044 085 238 871

